



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. De natura contractûs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**



212 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS:  
dendum suum honorem, animositatem, &c. sub-  
jacet pœnis suprà dictis.

---

TRACTATUS  
DE  
CONTRACTIBUS.  
CAPUT PRIMUM.

*De Contractu in genere.*

§. 1. *De natura Contractûs.*

**C**ontractus strictè sumptus definitur: *Duo-  
rum, pluriumve libera conventio, gignens  
mutuam obligationem.*

Alius est explicitus, implicitus alius. Alius lu-  
crativus, in quo pars altera nihil rependit, ut  
*promissio liberalis, commodatum, &c.* Alius oner-  
osus, in quo aliquid rependitur, ut *emptio,  
venditio &c.*

- P. 1. An ad valorem contractûs requiratur vo-  
luntas præstandi ea, ad quæ contractus obligat?  
R. Neg. Quia contractus solùm requirit consen-  
sum, quo suscipitur obligatio ad aliquid præ-  
standum: potest autem quis absolutè consen-  
tire in obligationem, volendo se obstringere  
ad aliquid præstandum, quamvis in executio-  
ne id præstare nolit, sed fallere intendat.  
2. Qualis consensus ad valorem contractûs re-  
quiritur?

R.



R. In foro fori sufficit consensus verbis expressus, quia cum homines internas voluntates immediatè intueri nequeant, de illis per externa humanæ societatis signa judicant: in foro conscientiæ requiritur consensus internus: contractus enim essentialiter requirit consensum in obligationem: verba autem consensum non efficiunt, sed dumtaxat significant.

3. Quomodo error, & dolus contractum vitiant?

R. 1. Error, & dolus circa substantiam rei contractum quemlibet enervant penitus: tunc enim deest verus consensus. Qui emit vitrum, putans esse gemmam, non consentit in vitrum.

R. 2. Si error circa qualitatem rei sit antecedens, & contrahens à qualitate, quæ ad contractum movet, tamquam à conditione vim sui consensûs expressè suspensam velit, contractus corrumpitur, quia deficit conditio, à qua valor contractûs ex intentione contrahentis pendet: si autem error tantùm sit concomitans, contractus subsistit, quia reverà hîc & nunc se obligat.

4. An valeat contractus initus ex metu?

R. 1. Contractus initus ex metu gravi proveniente à causa naturali, est validus, ut si quis metu infamiæ contrahat matrimonium cum sua concubina.

R. 2. Dum contractus initur ex metu gravi injustè incusso, qui ad extorquendum contractum non ordinatur, robore suo non destituitur, ut si quis timens expugnationem civitatis injustè



obsessæ, offerat inire matrimonium cum sore  
re principis obsidentis, supposito, quòd civitas  
in illum finem non obsideatur. Ratio est, quia  
licèt contrahens possit meritò conqueri de tali  
metu, non potest tamen conqueri de illo, qua-  
tenus contractum respicit.

ꝛ. 3. Dum metus gravis, ad extorquendum con-  
tractum ordinatus, incutitur, sed justè, con-  
tractus validus est, tam jure naturali, quàm po-  
sitivo, cùm coactus rationabiliter conqueri  
non possit, quòd pleniori non gaudeat liber-  
tate.

ꝛ. 4. Si metus gravis incutiatur injustè, & ad  
extorquendum consensum ordinètur, con-  
tractus tum onerosus, tum lucrativus jure na-  
turæ est invalidus. Sub hoc metu etiam com-  
prehende metum reverentialem, qui nascitur  
ex reverentia parentibus debita, præsertim si  
graves addantur minæ. Ratio est, quia tunc  
deest consensus liber ea libertate, quam æqui-  
tas naturalis, & jura societatis humanæ postu-  
lant; siquidem rationi consonum apparet, ut  
nemo absque causa rationabili obligetur ex  
contractu, nisi spontè volens, securè que con-  
sentiens. Id ipsum statuitur cap. *Ad audien-  
tiam, de his, quæ vi, metûsve causâ fiunt, carere  
debent robore.*

ꝛ. 5. An juramentum promissorium, gravi metu  
injustè extortum, jure naturæ obliget?

ꝛ. Multò probabilior, & practicè securior est  
sententia affirmans. Constat ex variis capitulis,  
& S.



& S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. Accipe Cap. unum pro multis. Cap. *Si verò*. de jure jurando, ubi Alexander III. rogatus ab Archiepiscopo Senonensi, quid agendum sit, si aliquis alterum gravissimo metu sub religione juramenti jus suum refutare cöegerit, ipsumque sibi retinuerit; responder: *Non est tutum quemlibet contrà juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis eterne: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne authores perjurii videamur.*

§. 2. *De Contractu conditionato.*

P. I. **A**N conditio de præsentì, vel præterito suspendat contractum?

R. Neg. sed simul ac conditio existit, conventio statim vim habet; si autem non existat, pactum ab initio nullum est: quia quisquis ità contrahit, animo sic affectus est, ut suppositâ conditionis existentia, contractû illicò valere velit.

2. An conditio de futuro contingenti suspendat contractum usque ad eventum illius?

R. Plerumque, quia contrahentes animo sic affecti sunt, vel esse solent, ut eventum conditionis velint expectare, & efficaciam sui consensûs interea suspendant.

Dixi: *Plerumque*, quia si contractum ab initio valere velint, supposito quòd conditio ponenda sit, contractus ab initio, aut valet, aut omninò irritus est.